

Petrus de Vinea

*Ep. IV 4 (Lugubrem filii tui  
casum, uulgaris famaе fortassis...)*

Basilicata University Press

—

*Digital Humanities*

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. IV 4 (Lugubrem filii tui  
casum, uulgaris famaе fortassis...)*

20 aprile 1248, Borgo San Donnino

Cuidam fideli suo, consolando eum de morte filii sui occisi in expugnatione Victoriae.

1. Lugubrem filii tui casum, uulgaris famae fortassis lingositate precognitum, cuius doloris aculeus prius dominica pectora transiens, quam paterna, fecit in nobis quantum licuit et decuit stationem, infesto tibi stilo describimus. Et licet eiusdem obitus nos in eiusdem obsequiorum subtractione turbauerit, et te, sicut firmiter credimus, in carnis decisione medullitus uenabulo quodam inopinato percutiat, si modus tamen et qualitas mortis attenditur, consolationis remedium, quod nos iam exinde probabili ratione concepimus, locum grandem inuenire firmiter opinamur in patre. 2. Dum enim idem filius tuus Camerae nostrae seruitiis assiduus et obsequiosus insisteret, in combustione castrorum nostrorum Victoriae, ubi eum potuerat a rebellium nostrorum manibus fuga subducere, deuotionis firmæ constantia, quod uix cadere consuevit in iuuenem, gladii superante terrorem, cruenta maluit morte succumbere, quam, dimissis aulae nostrae seruitiis, saluti propriae sibi per assumptionis fugae subsidium prouidere. 3. Ex hac igitur, quam diximus, causa precipua, doloribus tuis consolationis unguenta porrigimus, ut, cum eiusdem filii tui defuncti uiuat in nostri cordis scrinio, etiam carne deficiente, memoria, et turpe sit in prudente uiro consolationis remedium prestat laxitudo dolendi, modum fundendi lacrimas apponere studeas, et causam in nobis consolationis assumas.